7

EXERCITATIO MEDICA INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE VENTRICULO COLLIGENS.

EXERCITATIO MEDICA INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE VENTRICULO COLLIGENS.

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

EDUARDI SANDIFORT,

MED. DOCT., MEDICINAE, ANATOMES ET CHIRURGIAE,
PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*,
& *Nobilissimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
rite ac legitime consequendis,

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS ATHILL,

ANTIGUENSIS.

Soc. Reg. Med. Edin. Soc.

——— ——— Levius fit patientiâ
Quicquid corrigere est nefas. — HOR.

Ad diem XXVIII. *Octobris* MDCCLXXXII. *H. L. Q. S.*



LUGDUNI BATAVORUM,
APUD FRATRES MURRAY,
MDCCLXXXII.

ERRATA

PRAESERTIM NOTABILIA.

P. 4.	*l.* 4.	Pro poteſt	*lege*	poſſunt.
— —	— 6.	— coeunt	—	coire.
— 15.	— 27.	— profunt	—	prodeſt.
— 20.	— 26.	— proprius	—	propius.
— 22.	— 11.	— facie	—	faciei.

HONORABILI

JACOBO MAKITTRICK ADAIR, M. D.

JUDICI APUD ANTIGUENSES INTEGERRIMO,

CURATORI SUO ET FAUTORI PLURIMUM COLENDO;

V I R O

ERUDITISSIMO ET HUMANISSIMO;

IN REVERENTIAE SUAE ET GRATAE,

ANIMI ERGA SE ET SUAM DOMUM PATERNISSIMI,

MEMORIAE TESTIMONIUM,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

(SI TALI OPUSCULO NOMEN TANTUM LICEAT PRAEPONERE)

HUMILLIME

D. D. D.

A U C T O R.

PROŒMIUM.

Mihi, ſcilicet in ſubtili & profundâ admodum medicinae ſcientiâ minime verſato & quaſi tyroni, Academiae cum a ſuorum doctrinâ alumnorum, tum a gravi judicio & juſtâ dignitatum diſpenſatione plurimum ut fas eſt celebratae, medicos ambire honores, audacius mehercle & pene temerarium videtur: vetus tamen & pulchra ſententia ea, quod quo magis difficilia ſint acquiſitu praemia, eo magis quaeſitu digna, & acquirenti honeſta, accendit me & fortiorem reddit.

E materiâ vero ita copioſâ & pene infinitâ, & hinc indeque a peritiſſimis pertractata, particulam quandam, de quâ pauca mea puerilia ſatis & nugatoria ſocietati eruditiſſimae offerre audeam, eligere, dubio mihi curae eſt perquam ſollicitae. Mente tamen meâ corporis humani ſtructuram, partium ejus ſingularum officia, & morbos quibus unaquaeque eſt obnoxia diu revolventi, & de iis quibuslibet aliquantulum prolaturo, attentionis revera meae utpote praecipue dignus mihi occurrit VENTRICULUS; *eoque magis, quod Phyſiologiam ejus & Pathologiam ab alieno ſimul collatas vidiſſe non memini. Continuo autem & tenaci animo habendum eſſe precor, quod munus hoc non ultro aggredior, ſed mihi neceſſe eſt imponatur.*

Verum enim vero quoniam mihi attentius eam circumſpicienti in tot tantaque brachia ſe reſolvere videtur quaeſtio, methodum certam quandam & ſimplicem, cui in eâ agendâ haud laeve inſerviri fortaſſe poſſit, majorem in perſpicuitatem inſtitui & opuſculo meo praepoſui.

S. Y.

PROŒMIUM.

SYNOPSIS.

Caput. I. De Anatomiâ Ventriculi.

1. De Situ & Figura.
2. De Structura.
   a. De Tunicis.
   b. De Orificiis.
   c. De Vafis fanguiferis.
   d. De Nervis.
   e. De Glandulis & Secretionibus.
   f. De Lacteis & Lymphaticis Vafis.

Caput. II. De Phyfiologiâ Ventriculi.

1. De Appetitu.
2. De Cibo.
3. De Ciborum concoctione.
4. De motu Ventriculi periftaltico & ciborum propulfione.

Caput. III. De Pathologiâ Ventriculi.

Sect. I. De Affectionibus Ventriculi Idiopathicis.

1. De Gaftritide.
2. De Dyfpepfiâ & Hypochondriafi.
3. De Chlorofi.
4. De Pyrofi.

Sect. II. De Affectionibus Symptomaticis.

1. De Confenfu partium in genere.
2. De fignis a Febre.
3. ——— a Podagrâ & Haemorrhoide oriundis.
4. De aliis quibuscunque Ventriculi Sympathiis.

EXER-



EXERCITATIO MEDICA INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE VENTRICULO COLLIGENS.



CAPUT PRIMUM.

De Ventriculi Anatomiâ.



Cum in ſequentibus paginis ad varias ventriculi partes ſaepius neceſſe eſt referatur, pauciſſimis quidem verbis ejus ſtructuram, & partes ex Anatomiâ inveſtigatas, utpote attentionis meae digniſſimas exponere, imprimis decrevi.

DE SITU ET FIGURA VENTRICULI.

In organi ita conſpicui & ſimplicis ſitu & figurâ exponendis, multis minime opus erit verbis. Sufficiat igitur brevi referre quae aut ipſe obſervavi, aut ex auctoritate gravi ducenda curavi, quaeque e cadaverum ſectionibus omnibus patent.

 Ven-

Ventriculus faccus eft in Epigaftrio ut loquuntur anatomici, partim etiam in utroque fed praecipue in finiftro Hypochondrio, extransverfo & fub Diaphragmate fitus. Eft autem ovatus, ex parte finiftrâ largus quidem & capax, gradatim verfus dextram fe minuens; incurvatur etiam & in duas fornices vel curvaturas eft diftributus, quarum una MAJOR, quae magnam complectitur convexitatem, altera quae parvam MINOR dicitur. Duobus etiam inftruitur orificiis, *fuperiore* & *inferiore* ab antiquis rectè dictis; hoc quod e dextrâ ventriculum cum inteftino duodeno nectit, PYLORUS, illud ab Aefophago proveniens & fere in medio fitum, CARDIA, audit. Pylorus autem, non omnino in Hypochondrio dextro, fed potius in Epigaftrio, dextrorfus tamen, fitum habet, nec longè diftat a Cardiâ; etenim ventriculus e dextrâ mediam verfus, curvaturas praedictas facturus curfum vertit. Hinc facilius videre poffumus, ventriculi a cibo diftenti fornicem magnam, abdominis parietes, vertebras dorfales parvam refpicere debere.

Notandum eft etiam quod ipfius fuperficierum ventriculi una fuperior, altera inferior, neceffe eft dicantur; & rectè a Cel. WINSLOW monemur, cardiam in illâ, in hâc verò pylorum effe fitum; unde non absque gravi ratione infert, quod in homine vivo ftomachus praefertim plenus cum Aefophago non rectam lineam, fed cum iftâ ejus parte ultrà diaphragma pofitâ, angulum faciat: & hinc quod orificium fuperius, fornixque parva verfus vertebras fpinales vertantur, dubitari nequit.

DE STRUCTURA VENTRICULI.

Partium e quibus ftomachus conftat natura & dotes expofitae, pretium operae procul dubio afferent, cum ex illis phoenomenon illud mirum & vitae perquam neceffarium APPETITUS, aliaeque meherclè hujus organi functiones, quomodocunque pendeant. Partes nimirum eae funt variae, primo autem confiderandae funt quibus nomen TUNICAE ab Anatomicis eft impofitum. Quae quidem

dem ab HALLERO sex, a WINSLOW & aliis quatuor solummodo numerantur: Hi enim tunicas tantum proprias complectuntur, ille telam cellulosam condensatam & ubique partes nectentem superaddit.

TUNICAE PROPRIAE SUNT COMMUNIS, MUSCULARIS, NERVOSA, ET VILLOSA.

COMMUNIS quae & Peritonaea vocatur, processus est & vere pars elongata peritonaei, quod miris in modis post tectas undique abdominis parietes, viscera ejus omnia involvit, tunicam unicuique propriam, simul ac omnibus communem praebens; ità meherclè ut manu introductâ, nihil est nisi membrana ea quod possit tangi. Huic nimirum, quippe forti & firmae membranae multum roboris debet stomachus.

Hactenus structura simplex est, & intellectu facillima; MUSCULARIS magis complexa ex variis fibrarum laminis evidenter constat. Attamen bifaria apud WINSLOW mihi cordi est earum divisio: una externa & e fibris longitudinalibus, interna altera & e fibris circularibus, constituitur.

Cum verò de situ fibrarumque cursu muscularium clarè aliquid & luculenter verbis exprimere difficillimum est, & vires meas longè excedit, paucis iis & vix inchoatis quae supra dixi necesse est me habeam contentum; nec ut plura inde addam decet morari.

NERVOSA musculari est proxima: latere ejus externo seu convexo videntur undique vascula exigua fere innumera, cum nervis implexa & rete referentia: Interno autem structura spongiosa potius & tenuis, glandulis plurimis exiguis instructa apparet. At verò quo pars ita constructa muneribus ordinariis possit fungi, fibrae ligamentariae ut censet WINSLOW fundamentum quasi & auxilium dantur.

VILLOSA huic imposita internam ventriculi superficiem constituit: Atque ità audit, quòd aquâ immersa faciem undique villosam prae se fert: Hanc autem a vasculis nervisque ubique in eâ sparsis

pendere, ex anatomicorum injectionibus fatis patet. In hâc tunica orificia vel demum pori, glandulis praedictis pares, vel fecundum Hallerum e folliculis mucofis exeuntes, oculo bene attento, ex omni parte poteft videri. Notandum eft autem, interiores duas tunicas multo magis amplas effè quàm exteriores; rugasque quibus undique interna ventriculi fuperficies ftipatur ad formandas coeunt.

De Orificiis quaedam exinde dicantur oportere mihi videtur. Cardia ad finiftram ventriculi, ubi Aefophagus terminatur, partem, corporis autem mediam, locum habet; & quò alimentorum in gulam difficilior foret reditus, ftructurâ mufculari propriâ inftruitur. Pylorus dextrorfùm ad fornicis minoris finem fitus, ut nomen videtur indicare, fpecies eft fphincteris, contractilibus admodùm fibris mufcularibus inftructa: praetereà quod in mufcuralis tunicae ftructurâ circà orificium hocce, circularium fibrarum conftructio quaedam peculiaris a plerisque notatur; Duodeno adnectitur, ità ut per eum facilè transeant alimenta ex ventriculo; at verò quo reditus ex inteftinis difficilior fiat, apparatus valvulam bene referens ex tunicarum nervofae fimul ac villofae plicâ conftitutus, fibrisque infuper ftipatus mufcularibus, additur. Rebus tamen ità fefe habentibus hoc orificium fecundum Ccl. Winslow, fuperftite vitâ nunquàm penitus occluditur.

Princeps ventriculi Arteria primus eft Caeliacae ramus, & dicitur *Coronaria*, quippè quòd rami ramos inter fe invicem ofculentur, & cum *Pyloricâ* & *Gaftricis* adeo conjunctos fe habeant ut arcum vel, ut anatomici malint, coronam facere videantur. Pylorica & Gaftrica dextra Hepaticae arteriae funt rami, Gaftrica autem finiftra fplenicae, has verò ab eâdem provenire Caeliacâ neminem fallit.

Venae arteriis praedictis refpondentes eidemque legi infervientes, a venâ portarum (a Meferaica majore fcilicet, Splenica & Haemorrhoidali internâ) oriuntur, & fanguinem a ventriculo reducem ad vafa majora, & demum ad cor ipfum reddunt.

Nervi nec numero pauci, nec facile difcernendi funt, ideoque

que qui hoc in loco clarè defcribantur difficillimi. A pari autem vago five fympathetico praecipuè progrediuntur, & ubique texturae ventriculi copiofiffimè adhaerent: unde ea mira quâ induitur fenfilitas, is cum tot tamque diftantibus corporis partibus confenfus, ut fympathiae fedes & origo ab Illuftri J. HUNTER, animaeque ipfius ab aliis, locus habeatur.

SECRETIONEM muci cujusdam effe in ventriculo, neminem vix unquam latuit. Hodiernis verò ejus virtutes cognitae laudi funt & gloriae. Liquori fane in ventriculo invento nulli alio effe ufui quàm quo cavitatem ab acribus defendat, vetus erat opinio; hodiè autem ab experimentis, quod in eo cibos folvendi & eorum coctioni inferviendi facultas fit, fatis patet. Sed unde vel quo fiat ille liquor haud ità fatis liquet. Effe in nervofâ tunicâ glandulas innumeras ex auctoritate accurati illius WINSLOW anteà dixi; eas nunquam mihi vifas lubens agnofco, & exiftantne an fit alia fecernendi ratio penitùs ignoro. Ab HALLERO ex vafculis illis exilibus in tunicâ villofâ, ut fuprà pofui, fitis, emanare dicitur liquor gaftricus. At verò fe poros in tunicâ villofâ exiles vidiffe, terminos in folliculis telâ cellulofâ infitis, ut inquit, habentes, ipfe agnofcit. Mihi igitur cum WINSLOW fuper hac re cenfere magis cordi eft, nempe quod fecretio a glandulis fiat; & hoc potiùs quod Dom. J. HUNTER, mihi rogitanti unde fit haec fecretio, fuperficiem ventriculi internam glandulis ubique effe inftructam conglomeratis, vel etiam ex toto organum fecretorium dici poffe, fe credere aiebat. Haeccine autem fola eft in organo tam infigni fecretio? Nonne muco aliquo ad ipfum ventriculum a viribus fucci gaftrici defendendum opus eft? Certè mirum omnino videtur liquorem illum, animalium etiam duriffimas qui facilè folvat partes, ità ventriculo, organo licet molli atque tenero, quafi pietate affectum parcere, ut vitâ fuperftite ne minimâ quidem afficiat injuriâ. An verò hoc a muco alio peculiari ftomachum habitanti, eumque defendenti, an a vulgari quae in aliis corporis cavis invenitur fecretione, an, ut inquit Celeberrimus J. HUNTER, a principio vitali oriatur, me penitus nefcire fateor.

De Anatomiâ nihil ultrâ nisi pauca de VASCULIS ABSORBENTIBUS stomachi restat dicere. Utrum talia verè sunt vasa inter Anatomicos minime convenit: cum autem laboribus auctorum quorundam hodierni temporis & praecipuè DOM. CRUIKSHANK, qui super hâc re multum operae & cum maximo sibi honore, aliisque commodo largitus est, vasa absorbentia aequè ac sanguifera ordini cuidam certo succumbere posse verisimile redditur, nullus dubitem quin ventriculo aequè ac aliis corporis partibus talia sint. Porrò autem HALLERUS inquit se ea & ne parva quidem ex partibus quibusdam visceris hujus oriunda & per canalem ampliorem ductui thoracico connexa vidisse: Quinetiam in Collectione Hunterianâ omnium qui sunt & qui fuerunt facilè principe, plura sunt exempla, quibus haec vasa ubique in superficiebus ventriculorum arte praeparatorum, injecta videri possint.

Objici forsan mihi potest, peractis eis quae adhuc quam brevissime tractavi, nihil de Anatomiâ comparativâ me dixisse. Cum autem hanc argumenti partem curiosam magis quam utilem, & quae opusculum hocce longè ultra debitos extenderet limites considero, quamvis in animo eam tractare ex initio fuit, nunc omnino praetermittere statuo.



CAPUT SECUNDUM.

De Ventriculi Physiologiâ.

Corpus humanum a munerum functione suorum oppressum, citò necesse est deficeret. Motus enim omnis partes solidas terit, fluidas dissipat; utraeque etiam sponte & quidem brevi putredine solverentur. Rebus autem ita sese habentibus cibum appetimus, sumimus, & concoquimus; corpus nutritur; putredini obviam itur. Insuper animalium corpora, initio admodum parva, lapsu temporis magna fiunt ultra fidem, quod nullo alio possit fieri modo quam per ingestos concoctosque rite cibos. Appetitus igitur, cibus, concoctio, & denique motus ventriculi peristalticus qui considerentur digni videntur.

DE APPETITU.

Appetitus, vel cibi desiderium, est sensus ingratus, dolens, quasi lacerans, primo levis, paullatim ingravescens, & ventriculo relatus.

Variae de ejus causâ variorum sunt opiniones: aliud Mechanici, aliud Chymici, aliud denique isti autumantes qui structuram corporis animalis propriam, potestatesque ejus motrices in animo vertere consueverunt.

Ventriculo jam inanito censebant quidam, plicas anteà dictas tunicis nervosâ & villosâ constitutas, nervis interpositis sensiles admodum redditas, inter se collidentes, & diaphragmate, musculisque abdominalibus una comprimentibus adjutas, sensum intolerabilem in ventriculo cui cibus solum erat remedium excitare; iisdem etiam visum est liquorem gastricum post pastus collectum, acremq. redditum sensationem hanc magnopere inducere.

Alia

Alia opinio hujus senſationis, acria in ventriculo ex priore paſtu relicta, ſive acida ſive putrida, in cauſa eſſe voluit. Tertia etiam a SENNERTO ſuſtentata eſt quod appetitûs cauſa proxima ſit ſuctionis illius quâ venae meſeraicae inanitae chylum attrahere & e ventriculo quaſi exſugere exiſtimabantur. Cauſae verò omnes eae, perpetuò neceſſe eſt exiſtant & augeantur; modo tamen ſentitur, modo omnino deficit appetitus, circumſtantibus ne minime quidem mutatis.

Ventriculi tandem inanitio, quamvis ex parte ab eâ oriatur ſenſus qui appetitus audit, phenomena ejus omnia non poteſt praeſtare; namque inanitione per vomitionem facta non ſtatim eſurit homo: exinanitio aliqua totius corporis & praecipuè vaſorum in cute ſanguiferorum multum valet; in febribus verò, non ſolum ventriculus ſed ſaepius etiam totum corpus quodammodo inanitur, nec adhuc appetit aegrotus. Itaque ut fiat appetitus, contractione quâdam muſcularium fibrarum ventriculi opus eſſe videtur, ex inanitione forſan partim ortâ, ſed a tono & totius ſyſtematis vigore potiſſimum pendente. Hinc famis ſenſus ventriculo etiam non vacuo ex cauſis ſtimulantibus oritur; hinc in morbis febrilibus aliisque atoniâ comitatis, appetitus deficit, quod alioquin explicari nequit, quoniam irritabilitate in his omnibus in genere auctâ nervi ab acribus & attritione praecipuè afficerentur, & inanitio quae ſupra dictos ferè ſemper conſequitur, ſuctionem exaugere debet; hinc denique quomodo exercitium, balneum frigidum & medicamenta tonica famem excitare & acuere, debilitantes vero cauſae (inter quas nimia fibrarum muſcularium contractio, ex appetitu diutius urgente, ponatur oportet) eandem deprimere ſolent, plane diſcimus.

Quoniam ſitis potius ex faucium & linguae quam ſtomachi ſtatu pendere videtur, de eâ penitus taceo.

DE

DE CIBO.

Et genere & mille aliis diverſitatibus variat cibus. Diaetâ ex animalibus cum vegetabilibus conſtante gaudet homo. Talem illi eſſe a naturâ indicatam docet inſtinctus; docet etiam ventriculi ſtructura & inteſtinorum (*a*); docent denique dentes ad utramque manducandam aptiſſimi: Quin etiam laborantibus & forti inſervientibus exercitio, alimentum nequaquam ſufficere videtur vegetabile. Praeterea in regionibus ubi animalia plurimum victui inſerviunt, plures ſunt fortes, plures longaevi, quam in iis quibus incolae vegetabilibus magis copioſe utuntur.

Inter animalem & materiam vegetabilem ſummum hoc videtur eſſe diſcrimen, quod illa multo magis nutrimenti quam haec praebet. Utraeque eadem fere principia, eaque nihil a ſanguinis humani principiis differentia, varie vero commiſta continent (*b*). Praecipua inter eas differentia videtur eſſe quod illa in ventriculo ſatis cito, vel perfectius non concocta, putredinem, haec aciditatem acceptura eſt: utraeque eosdem effectus, debilitatem ſcilicet ejusque ſequelas, illa vero plus quam haec, inferunt. Conjunctim ſumptis, mala illa magnopere evitantur, ideoque ubique ferè terrarum commiſtae ſumuntur: nec ut liceret expectare a tali miſturâ abhorret natura; porro tali potius gaudere videtur. Etenim cibus a naturâ nobis infantibus paratus, ventriculis adhuc imbecillibus, plu-

(*a*) In animalibus carnivoris alia eſt ventriculi ſtructura, alia in graminivoris; inteſtina etiam & praecipue *Caecum*, quodammodo inter ſe differunt; hominis autem ventriculus & inteſtina, neve uni neve alteri ſolum accommodata, utriusque ſtructuram partiuntur.

(*b*) In praelectionibus ſuis de oeconomia corporis humani Cl. G. Fordyce M. D. haecce habet verba. „ *Every animal & vegetable ſubſtance contains* „ *the ſame elements; If you diſtill animal matter you procure volatile alkali, wa-* „ *ter, Empyreumatic oil, Gas, Inflammable air & a charcoul which being burnt* „ *in the open fire will produce a calcareous earth; now as theſe are the parts of all* „ *animal ſubſtances it is evident they muſt all have the ſame elements; alſo if we* „ *diſtill a putrid vegetable ſubſtance, we ſhall get the ſame product.*

plurimo tamen desiderato nutrimento, non simplex, sed variis compositus partibus, inter se plurimum discrepantibus, evadit. Lac scilicet ex aquâ constat, in quâ solvuntur 1°. Materies coagulabilis, aliarum instar animalium mucilaginum ad coagulandum proclivarum. 2°. Oleum expressum 3°. Saccharum. Res inter se proprietates diversas admodum continentes, omnes tamen hâc unâ gaudentes, quod in nutritionem plurimam conferant. Propria pars vi succi gastrici simul ac ventriculum ineat, coagulatur; oleum ejus solutionem aliter difficillimam promovet, saccharo ejus ad putredinem proclivitatem una corrigente. Oleum autem expressum sine mucilagine vix concoqui posse, saltem non sine nisu corpori nocivo ab ill. G. FORDYCE non absque gravi ut opinor ratione dictum, accipio: ad Saccharum etiam solvendum talem commistionem non minus utilem facile possum credere Haec omnia naturam cibi simplicitate non gaudere satis probant; quin etiam ex eisdem duci possit, cibum satis nutrimenti praebere non posse, nisi in ventriculo per aliquot tempus detineatur, ibique mutationes quasdam subeat.

Neve animalia neve vegetabiles in genere nisi prius quodammodo coctas depascimus, omnia vero quibus cibo utimur, mitescunt flammâ & molliuntur. Vegetabilium universum fere genus uno eodemque modo plerumque parantur; animalia autem vel immediate vel interventione fluidi cujusdam, igni applicata vel demum aquâ soluta, curantur. Illac superficies externa praecipuè coagulatur, adeo ut succi partium internarum non dissipantur, & oleum essentiale stomacho praesertim debili molestius, retinetur; hac succi & oleum essentiale magis deperduntur, faciliorque concoctio redditur. Postero autem parata modo citius e ventriculo defluunt, nec ejus actioni subeunt, nec demum corpus satis nutriunt, alimenta.

Quod ad varietates ciborum pro aetate, temperamento &c. attinet, Hygieinen spectat; hic autem liceat dixisse quod infantibus impuberibusque alimenta blanda, concoctu facilia, nutritioni aptissima esse debent: ea verò quae sumunt puberes aequo facilius digeri pos-

possunt; itaque ne stimulent nimis cibi, nec nimis abundent, sufficiat curare; homine jam adulto pro ratione laboris, temperamenti, & corporis habitûs, nunc magis stimulantia, nunc penitus refrigerantia capiantur oportet; senes denique plus stimuli requirunt. In plerisque morbis alimentum nec ventriculus appetit, nec accipere debet. Convalescentibus & aliquando eis qui chronicis quibusdam morbis laborant diaeta nutriens, eademque concoctu facilis, adhibita, maxime prodest.

Fossilia quaedam & nonnulla vegetabilia quae parum vel nihil per se nutriant, pro CONDIMENTIS sumuntur, & suis usibus nequaquam carent, saepius enim fortior optandus est sapor; quin & ventriculo stimulo sunt & sic concoctioni, praesertim si debilior fuerit stomachus, opitulantur; neque bene concoquitur, si condimenta solita negantur.

DE CIBORUM CONCOCTIONE.

Recepta in corpus alimenta non statim nutritioni aptata, mutationes quasdam est necesse subeant. Primum cibus actione dentium, linguae, aliarumque oris partium comminutus, mollitus, & demum per oesophagum ope forsan peristaltici motus depulsus, in stomachum transit, ibi per aliquantum temporis mansurus; ibi demum concoquendus. Eae quae ad nutritionem promovendam actioni ventriculi subjiciuntur, materiae, sunt farinacea; vegetabilium mucilaginosa; acidum vegetabile nativum; saccharum; oleosa; materia animalis; nec vel minimè interest an horum tantum uno, an omnibus simul utimur; omnia enim corporis humani elementa in se adeo continent, ut nullo alio opus est ventriculi labore, quam quo ea dissociat, atq. iterum ita inter se nectat, ut chylus & demum sanguis ex eis fiat. Quomodo autem hoc fit variae ab auctoribus dantur rationes. Trituratio ab his; ab illis fermentationes ordinariae; calor, & agitatio & demum solutio, ab aliis ordine proposita sunt, & ut opinor ferè refutata.

 At

At vero a trituratione folâ alimentorum natura & proprietates nequaquam poffunt mutari. Si quamlibet materiam vegetabilem, aquâ, falivâ, vel fucco gaftrico, fi fieri poffit commiftam, in facco ftomacho fimili, calori grad. 98. admoveamus eamque fatis agitemus & comprimamus, aut fi vegetabilis cum animali commifta fuisfet materies, fermentationis ftadiis ordinariis folent fuccumbere; res autem animales ita folae adhibitae ftatim putridae fiunt; at verò in coctionis alimentariae decurfu, ventriculo nullo laborante morbo, nec vinum, nec acetum, nec denique putrefactio percipietur (*c*). Quin etiam putredini jam inceptae ire obviam ventriculi liquores, experimentis probatur.

Calorem autem cum agitatione effectus concoctioni fimiles non promovere fuprà procul dubio patet. Denique ab experimentis de induftriâ inftitutis, menftruum effe in ftomacho quod cibos etiam maxime folidos facillimè folvat, fatis probatur: folutionem igitur talem magnopere ad concoctionem conducere nullus dubito; effe autem rem ipfam quam concoctionem appellemus, concedere non poffum; folutio enim alimenti cujuslibet, etiam ex animalibus conferti a chylo longè latèque diftat.

Cibus igitur nec trituratione, nec fermentatione ordinariâ, nec calore, nec denique fimplici folutione in chylum redigitur. Stomachus autem alimentis acceptis & fucco fuo proprio folutis *fermentationem fui juris* & adhuc minime imitandum, exhibet; cujus meherclè vi unumquodque alimentum primaria fua elementa exuere cogitur, & de novo conftitutum fit chylus.

Varia tamen alimentorum genera hâc fermentatione non aeque in eodem tempore afficiuntur; nec aeque dum concoquantur, corpus ipfa ea afficiunt: non tamen quo citius eò facilius folvuntur aut mino-

(*c*) Si ventriculus tandem debilis eft, fi nimis pro rato ejus vigore adhibeatur cibi, denique fi alimenta animali cuidam infolita & naturae fuae non aptata praebemus fermentationum effectus ordinarii fentiuntur.

nori ſunt ſtimulo, nec pro ratâ nutriunt facillimè concoctâ, ideoque pro viribus ventriculorum diverſis alimentis variâ facilitate concoctis eſt opus.

DE MOTU VENTRICULI PERISTALTICO ET CIBRORUM PROPULSIONE.

Ventriculi duabus fibrarum muſcularium lamellis conſtituti motus ex actione complexa conſtat. Utraeque lamellae dilatatione ſtimulentur neceſſe eſt, fibras igitur circulares alternè dilatari & contrahi certum eſt. Quamvis autem motûs hujuſce curſus a ſiniſtrâ verſus dextram factus eſt, quae in ſtomacho contineantur non eo ſtatim depelluntur. Ut concoctio ritè perficiatur ingeſta in ſtomachum, ibi quid temporis detineantur oportet; quapropter dilatatione aliquâ fibrarum circularium, eâ praecipue quae a plenitudine oriatur, longitudinales contrahuntur, quo bina approximant orificia neceſſe eſt. Hinc Pylorus elevatus (propriâ forſan muſculari ſtructurâ majore vi ad ſe contrahendum ſimul excitatâ) magis impervius redditur. Reiteratis autem his motibus & compreſſione diaphragmatis cooperante, reſiſtentia ejus tandem ſuperatur, partes fluidae illius antrum occupantes, primò exeunt, ſolidiores, aere per ventriculi actionem evoluto, leviores factae ad cardiam adnatant, nec niſi poſt aliquot tempus propelluntur. Pylorus tandem ventriculo quodammodo inanito, & contractionibus imminutis, laxior fit & minus elevatur & tandem alimenta facile ſinit progredi, viribus ſuis contractilibus a tergo ea quae tardiora ſunt propellens.



CAPUT TERTIUM.

De Ventriculi Pathologiâ.

SECTIO I.

De Affectionibus ventriculi Idiopathicis.

Morbi Idiopathici quibus affici solet stomachus adeo extenduntur ut ad singulos diffusè tractandos limites tentaminis hujus minime sufficiant: liceat igitur quam brevissime observata tamen pro viribus perspicuitate, eos percurrisse.

Gastritis duplex est, *Phlegmonodaea* scilicet & *Erysipelatosa.* Phlegmonodaea signis sequentibus annotescit; calore scilicet & dolore epigastrii acuto, cum Pyrexiâ typhode, vomitu, ingestis quibuslibet aucto & saepius cum singultu. Pulsus plerumque subdurus est, saepissime parvus, & non raro etiam debilis; vires multum imminutae sunt; incedunt summa auxietas, delirium, extremorum refrigeratio, spiratio difficilis, mors.

In omni Inflammatione impetus humorum auctus in vasculis sanguiferis, ex eorum actione auctâ oriundus, inest; hanc igitur quodcunque excitat, morbi causa proxima evadit. Obstructio vasorum parvulorum aliquando hujus in causâ esse potest; at vero diuturnam arteriarum actionis adauctionem spasmo fere semper plus minus inniti ab Illustrissimo Culleno dictum lubens accipio.

Causae remotae sunt vel *externae*, quales sunt contusio, acria & nimis frigida in stomacho recepta, nimia distentio &c.; vel *internae* quales numerari queant partium vicinarum inflammationes; acria vel in aliis partibus procreata & in ventriculum infusa, vel in seipso orta; variae denique affectiones sympatheticae, veluti Exanthematia, Podagra &c.

Mor-

Morbus hic si non subito eveniat lethalis ire solet vel in resolutionem vel suppurationem vel gangraenam. Proclivitas ejus ad horum alterutrum a symptomatum gradu & duratione & a signis facillime potest dignosci.

Morbi hujus curationem incertam admodum esse omnes fere fatentur medici. Illi autem utpote cui citius subit mors, statim omnibus quibus potimur remediis obviam eundum est. Venaesectio licet pulsus arteriarum parvi quidem & debiliores sint, plurimum praestat. Postea juvat epispaticum epigastrio amplum applicatum; nec totius fotus abdominis, tepidaque pedum lavatio suis carent usibus. Medicamenta ipse stomachus propter vomitum frequentem vix accipiet, potus autem tepidi, admodum blandi, parce & frequenter adhibeantur necesse est. Refrigerantia etiam, sedantia & praecipue laxantia si opus sit, in alvum injici queant, & dolore & vomitu per intervalla, ut aliquando fit, subeuntibus enemata anodyna multum prosunt.

Gastritis erysipelatosa cum nonnunquam sit sine pyrexiâ non semper facile dignoscitur. Pyrexiâ autem nullâ instante, morbus per oesophagum ad pharyngem & fauces denique ipsas diffusus aliquando apparet. Rebus ita sese habentibus, si ventriculus insolitâ acrium, ut mos est, sensilitate simul afficiatur, morbum huncce adesse certiores facti erimus.

Causae excitantes plerumque sunt acria in ventriculum quodammodo recepta; quorum a natura & a signis praesentibus *curatio* pendet. Si acria adhuc stomacho inesse ducimus, copiosa liquorum blandorum tepidorum potio ad vomitionem provocandam, causasque amovendas, praecipue prosunt. Demulcentia etiam & corrigentia (atque ea si fieri potest *specifica*) adhibeantur oportet. Si ex aliis retropulsis, ut saepissime accidit, oriatur morbus, illi assiduè revocandi sunt. Denique si signa inflammatoria multum invalescant, ad remedia supra praescripta gradu proprio decurratur.

Dyspepsiae a Culleno in synopsi suâ prodita, mihi ante alias ma-

magis cordi eſt deſinitio. Quam igitur hic lubens accipio. „ Ano-
„ rexia, Nauſea, Vomitus; Inflatio, Ructus, Ruminatio; Cardialgia,
„ Gaſtrodynia; pauciora ſaltem vel plura horum ſimul concurren-
„ tia, plerumque cum alvo adſtrictâ & ſine alio vel ventriculi ip-
„ ſius vel aliarum partium morbo".

Optimus hic eſt & morbi character & ſymptomatum relatio; reſtat ſolummodo eorum rationem reddere, cauſam proximam cauſasque occaſionales exponere, & curationis praeſcribere conſilia.

In ratione ſignorum deſignandâ, ea in Claſſes ſortiri placet. *Claſſis prima*, priora tria ſigna, gradu tantum inter ſe diſcrepantia, complectitur. *Anorexiam* vel appetitûs defectum ex ventriculi fibrarum muſcularium atoniâ pendere a praegreſſis in phyſiologiâ fluit. *Nauſea* major eſt ejusdem gradus, haud ſecus ac eam, *Vomitus* gradu etiam excedit. Hunc ſedantibus excitari, eisque quae muſcularium ſtomachi fibrarum tonum eò usque dirimunt, ut a viribus naturae medicatricibus reactio & vomitus provocentur, mihi veriſimillimum & ferè certum videtur: namque vomitus plerumque vel ferè ſemper ſyncopen ex debilitate ortam comitatur; atque etiam ſtimulantia vomitionem non excitant, ſed in genere optima ad eam compeſcendam vel obviam eundam praebent remedia, certe ſtomacho admodum grata inveniuntur: ſedantes verò omnes poteſtates, frigus nimium, morbos aſthenicos, opium copioſiùs adhibitum, famem diuturniorem, venena denique omnia & forſan antimonium eam excitare, ab omnibus conceditur.

Secundae claſſi tria etiam referenda ſigna reor. *Inflatio*. Aër actione ventriculi ex ingeſtis evolutus, viribus ejus ordinariis ſolet abſorberi, neque enim eis vigentibus, magna illius copia evolvitur: Imminutis verò quomodocunque, minor ſit abſorptio, & aëris plurimum creſcit quantitas. Quae cum ita ſint maximè diſtendatur ſtomachus, neceſſe eſt, ita mehercle ut orificia ſibi invicem appropinquent, nec facilè aër propellatur.

Compreſſione autem inſolitâ verſus cardiam, per aërem factâ, motus periſtalticus adeò invertitur, ut aër aſcendere ſinitur. & *Ructus* conſtituitur. De-

Denique turbatâ ex praegressis ventriculi actione alimenta non ritè admiscentur; quin etiam solidiora fluidioribus innatantia Cardiam irritant, & per oesophagum modo praedicto rejiciuntur; hoc *Ruminatio* audit.

Ad *Classem tertiam Cardialgia* & *Gastrodynia* rite referri videntur. *Illa* ex distentione cum sensu acrimoniae calorem excitantis pendet; & vel acri aliquo admoto, vel erosione vel nimiâ cardiae sensilitate oriri videtur. Acida autem praecipuè in ventriculo inventa quae hoc signum cieant ex actione ejus imminutâ sine quo acidum ut antea dixi vel prorsus non generatur vel saltem citius absorbetur, pendent. Ad *hanc* referri potest omnis ventriculi sensus dolorificus non a praegressis ortus: ei forsan contractio muscularium fibrarum spastica, debilitate orta causae est.

Symptomatis omnibus ordinariis jam recensitis restat quae saepius accedit, *alvi adstrictio.* Hanc ab imminutâ ventriculi (& intestinorum praecipue ex illo ortâ) actione non raro oriri nullus dubito, quia in debilibus, in faeminis & in illis qui morbo & intemperantiâ confecti sunt symptoma frequens & pene intolerabile invenitur.

His igitur consideratis causa proxima neminem potest latere. Omnia signa ad fontem unum, omnibus communem ex manifesto prosecutus sum. Itaque omnia unam eandemque causam proximam procul dubio agnoscunt, ventriculi scilicet Atoniam. Hanc quidem pro causâ accipere, nil moror; jamque ad *excitantes vel remotas* exponendas accingor.

Hae duplices sunt. 1°. Quae in ipsum ventriculum statim agunt.

Potestates sedantes seu narcoticae.
Stimulantia & Tonica nimis usurpata.
Relaxantia.
Nimia Ventriculi distentio.
Absentia solitorum stimulorum.

2°. Quae Ventriculum interventu cerebri, nervorumque afficiunt. Scilicet vel universa, vel saltem in partibus cum ventriculo praecipue consentientibus vis nervosae imminutio.

 Quod

Quod in DIAGNOSI praecipue eſt difficile, Idiopathicus ſcilicet ſit morbus an aliâ pendens affectione primariâ ne minimi quidem eſt momenti; curationis enim in utroque caſu idem eſt conſilium; eadem remedia.

PROGNOSIS a Poëtâ optimè deſignatur,

„ *Principiis obſta, ſerò medicina paratur.*
„ *Cum mala per longas invaluere moras.*

MEDENDI CONSILIA:

Dyſpepſia licet ſaepiſſimè ſympathetica, nullâ ad primariam affectionem habitâ ratione tractetur oportet: Etenim roborato ventriculo corpus bene nutritur, functiones vigent & valent, tonus ubique corpori redit.

INDICATIONES SUNT.

1°. Cauſas Remotas quam maxime vitare vel eisdem obviam ire.
2°. Signa graviora levare vel tollere.
3°. Tonum & Vigorem ventriculi reſtaurare.

CAUSIS RITE CONSIDERATIS, QUA EVITENTUR VEL IMPEDIANTUR VIA PATET.

Secundae indicationi ea quae ſequitur multum inſervit, nam atoniâ ſublatâ, ſigna quae ejus ſunt effectus, tollentur. At vero quomodo unicuique ſigno obviam eatur, paucis exponam. Emetica leniora & ad ventriculum, rebus non concoctis oppreſſum, ſublevandum, & ad ſtimulandum (*d*), rite adhibita plurimum proſunt. Hinc Anorexia &c. ex imperfectâ concoctione & imminutâ actione orta,

(*d*) Vomitus enim licet cauſis ſedantibus cietur, ipſe multum ſtimulat. Hinc nimio emeticorum uſu Dyſpepſia movetur & augetur.

orta, hinc inflatio caeteraque omnia ſigna, quam optime levantur. Si vomitio haud ita temperata ſit, paulo ſpiritus vini gallici poteſt cedere; vel ſi gravius illa urgeat, ſal medius adhuc effervefcens ſumatur; vel denique his fruſtratis ad opium interne vel externe ſub formâ cataplasmatis adhibitum, & ad epiſpaſtica epigaſtrio applicanda, confugiendum eſt. In cardialgiâ ab acido ortâ, diaetae aceſcentis, liquorumque fermentatorum (praeſertim vero ſi fermentatio adhuc ſit imperfecta) uſus caute eſt evitandus; cibus igitur animalis cum re farinaceâ & lacte, & vina fortiora (atque etiam alcohol ſatis dilutus) anteponenda ſunt. Denique abſorbentia, ſcilicet alkali, & terrae calcareae optimi ſunt uſus: Illud contra acida plurimum valet, propria tamen incommoda ſua ſecum fert, itaque hae imbecilliores licet melius praeſcribuntur. Si cardialgia ex eroſione vel nimia ſenſilitate partium pendet, demulcentibus optime utimur.

Si ex inflatione &c. graviſſime ſe gerat aliquis carminativa adhibeantur oportet. Si ex Gaſtrodyniâ ſtimulantia & antispasmodica; Alvi adſtrictionem laxantia eccoprotica (namque omnis vitanda eſt purgatio) amovent: & de iis Rhabarbarus, Oleum Ricini, Sales neutri, Aloes & Sulphur praeſtare dicuntur; oleum vero ricini & ſulphur primum tenere videntur locum.

Quae Tonum ventriculo reſtaurant ſunt vel *ſtimulantia*, aromata, ſalina & praecipue acida non fermentabilia, foſſilia ſcilicet, & ex vegetabilibus diſtillatione extracta (inter quae aqua picea a CULLENO praefertur) necnon ſal ammoniacus & communis qui huic indicationi inſervire videntur; vel *Tonica*, amara, cortex ſcilicet Peruvianus, radices colombo & gentiana, flores chamamaeli &c. & denique praeparata ex chalybe & ferro. Cum vero inter debilitatis cauſas ſtimulantia & tonica incaute adhibita rite revera numerantur, quippe quae vires corporis fatigant & conficiunt, maxima debetur cura ne nimio eorum uſu quam avertere conamur, debilitatem augeamus.

Quae ſtomachum interventu ſympathiae roborant ſunt exercitatio, preſertim equitatio, & frigus.

Hypochondriasis a praegressâ, statu animi & temperamentorum varietate secernitur. Nihil enim aliud est Culleno teste, quam „ Dyspepsia cum languore, maestitiâ & metu ex causis non aequis, in temperamento melancholico.

Corpus animumque humanum mirè consentientes a se invicem mutuò pendere nemo ut opinor inficias ire possit. Corpore valido, animoque vigente, sperat homo, audet, laetatur; debilitato systemate contra despondet, metuit, moeret, torpet. In variis verò temperamentis varius est iste consensus, & exinde praecipuum oritur discrimen Dyspepsiam inter & Hypochondriasin. Discrimina tamen sunt alia minus notabilia. Appetitus saepissimè hâc non deficit, non raro mirum in modum intenditur, ita ut non immeritò morbi signum habeatur. Hujusce causam ab acido, frigore aliisque istiusmodi qualitatibus ortam accipere nolo; melius forsan modo sequenti explicari potest. Ex contractionibus fibrarum ventriculi muscularium pendere appetitum supra posui; *sensus* autem *satietatis* a distentione quâdam & repletione fieri potest: In Hypochondriasi in appetitum sufficit, ut mihi videtur, actio, distentioni verò ob nervorum torporem satietatis minimè subit sensus. Necnon in hypochondriasi alvus semper pertinaciter adstringitur, in dyspepsiâ nonnunquam soluta est.

Causâ hujus morbi proxima aliquantum quoque ab illius discrepat; Atoniam enim ventriculi dypsepsia, torporem vis nervosae stomacho praesertim infestum hypochondriasis agnoscit. Hâc actio potius tarda, illa debilis est. Atoniam autem cum torpore vel imminutâ nervorum mobilitate proprius connecti, atque etiam eisdem planè causis gradu variantibus aliquando nasci, docet illa frequentissima ex statu atonico ad paralyticum Rheumatismi transitio; unde peritus ille & assiduus rei medicae cultor, praeceptor meus, idemque amicus honoratissimus A. Duncan, M. D. in praelectionibus suis Edinburgi habitis Rheumatismi speciem vel potius stadium nomine Paralyticum agnoscit.

Causae remotae etiam ab eis quae dyspepsiam inducunt vel re ipsâ

vel

vel operandi modo discrepant: Illae saltem in hypochondriasi animum potius quam corpus aliquo modo primariè afficere videntur. Et exinde fit quod studium intensius, nimia venus, ebrietas &c. inter hujusce affectionis causas, plurimùm valent.

DISTINGUITUR hypochondriasis ab Hysteriâ ratione temperamenti, sexûs & aetatis: Hysteria scilicet praecipuè faeminas, aetate juniores & temperamento *sanguineo* (*e*) praeditas invadit. Ad Hypochondriasin homines plerumque aetate provectiores, & temperamenti melancholici (*f*), procliviores sunt.

EVENTUS pessimus: namque morte miserrimam finire vitam quam nobismetipsis infelicissimi, amicis dolorem simul atque commiserationem moventes, omnibus onus, eandem agere, melius & longè desiderabilius existimo.

CURATIONIS CONSILIA, mutatis mutandis fere eadem sunt ac in dyspepsia. Causae occasionales vitentur; leventur signa; excitetur potius quam restauretur tonus. At verò de animi demissi tractatione hoc in loco pauca dicantur oportet. Contra metum maestitiamque miseras hujus morbi victimas afficientes nihil omnino prodest, saepius nocet, ratiocinium. Nihil aliud igitur restat quàm attentionem aegroti ad res alienas convertere, animumque ejus ad studia diversa admovere, ità ut a suâ ipsius conditione, quam miserrimam credit, quamplurimum abstrahatur. Huic consilio ante omne remedium peregrinatio convenit: nec non omnis citra fatigationem vel anxietatem occupatio, (voluptates, motus corporeus &c.) animi nimiam impediendo attentionem, maximè prodest. Quod ad caetera attinet, observationem vix meretur, quod loco laxantium, pur-

(*e*) Hujusce temperamenti signa, scilicet 1mo. sensilitas major; 2do. animus facile excitus, & sponte varius & mutabilis; 3io. habitus plenior &c., mobilitatem cerebri nervorumque auctam indicant.

(*f*) Hujus signa sunt 1o. sensilitas imminuta 2do. animus excitari difficilis, 3io. impressiones diu retentae. 4to. Attentio constans rem in unam diu impensa. Quae mobilitatem minorem indicare videntur.

purgantibus magis ſtimulantibus, utamur oportet. Loco etiam vegetabilium vitandorum, diaeta ſaltem aequè ex animali, vegetabilique materiâ, forſan ex hâc omnino, conferta anteponenda eſt.

Omnium quae genus humanum invadunt, maximè lamentabilis, plurimis ſtipata miſeriis, CHLOROSIS evadit. Quis enim teneram & prorſus amabilem virginem, optimas homini delicias, vitae ejus aerumnas quae leniat & compeſcat, vitamque ipſam quae ſola reddat laetabilem, morbo perquam crudeli ſuccumbentem, decus formamque quibus heri omnes captaverat, abreptam dolentem, ſine horrore poſſit videre? Hebetant vires; deficit animus; vividus fugit facie rubor! Incedunt in corpore macies & aſthenia; in animo maeror; in ore pallor; & immani prorſus faevitiâ graſſantur! Functionibus omnibus impeditis, concoctione ciborum imperfectâ, genetalium tono amiſſo, miſerrima aegrota nec reſpirat bene, nec rite ſentit, nec nutritur, nec demum vitae ſocialis gaudiis fruitur: Vitalibus enim hoſtilia oriuntur dyſpnoea, aſthma, palpitatio, ſyncope: Naturalibus, dyſpepſia vel rei non eſculentae deſiderium, affectiones hyſtericae, menſtruorum retentio, ſecretiones fere omnes impeditae: Animalibus, aſthenia atque ejus innumerae ſequelae, quales ſunt hydropes varii, cachexiae &c.

Haec omnia ventriculi relaxationem ſive atoniam, genetalia aliquo modo unà afficientem pro causâ proximâ agnoſcunt; cauſas igitur remotas & curationem eandem eſſe ac in dyſpepſia ſatis liquet.

Appetitûs depravatio vel rei non eſculentae deſiderium, utpote ſignum huic morbo proprium hic debet notari. A laeſâ forſan imaginatione, nimiave indulgentiâ, praeſertim ubi ad ventriculum diu male ſe habentem plus juſto attenditur ſaepe plurimum oritur: at vero a ſtatu ventriculi non raro pendet & tum ſalubris eſt; Quum ſtimulos vult ſolitos, vel neceſſarios, vel ubi acido praegravante, abſorbentes requiruntur, aliquando etiam ex debilitate ſpasmos & actiones irregulares excitare conſuetâ, pendet.

De curatione hoc tantum liceat addere, quod ſi remedia ſint, & talia eſſe nullus dubito, quae reverâ vim poſſident emmenagogam, hoc

hoc in morbo, amenorrhoeâ nunquam non comitato, imprimis necesse est adhibeantur.

De Pyrosi utpote morbo, cujus historiam ab auctoribus descriptam raro inveni, perpauca possum dicere; & meherclè eam omnino omisisse, magis placeret, si ab illustri Culleno in nosologiâ methodicâ inter genera morborum posita, mentionem postulare non videretur. Cognoscitur dolore Epigastrii urente, cum sensu plerumque constrictionis & cum morsu ventriculi. Cum his etiam una, humor aqueus plerumque e stomacho ejicitur.

A cardialgia dignosci potest cum doloris natura & gradu, tum sensu constrictionis. A gastrodynia dolore urente & humoris aquei ejectione; a gastritide statu pulsus arteriarum, febre hanc semper comitante, & doloris, vomitusque in utrisque varietate.

Causa remota praecipue esse videtur acrimonia quaedam quae plerumque a cibo acescente, rancido, empyreumatico orta est. Causa proxima est ductuum eorum e quibus liquor gastricus solet effundi, constrictio spasmodica; qua revera nullae nisi tenuiores ejus partes possunt evadere, quamobrem ad spasmum illum tollendum a viribus naturae medicatricibus cieri videtur vomitus.

Curatio, Culleno judice, difficillima est. Remedia quae in dyspepsiâ fuerunt commodo vel nihil omnino prosunt, vel saltem admodum incerta sunt, acrimonia ab ingestis ducta vitetur; orta vero per emetica leniora, quae & spasmum forte solvant, forsan amoveantur, si morbi causa non appareat, opium & antispasmodica adhibeantur necesse est. Cicutae usum in hoc morbo plurimum commendare audivi virum ingeniosum Adair Crawford Londini rem medicam feliciter exercentem.

SEC-

SECTIO II.

De affectionibus Symptomaticis.

Ventriculum ſenſile admodum eſſe organum, & cum pluribus corporis partibus conſentire jam dudum obſervavi, & mehercle affectiones inde ortae medicamentorum uſum, & medici attentionem vix minus poſcunt quam affectiones idiopathicae.

DE CONSENSU PARTIUM IN GENERE.

Corpus humanum eâ ratione conſtituitur ut variae ejus partes variaeque actiones ad finem certum conſpirant. Functiones omnes in muneribus ſuis perficiendis ſe invicem plurimum juvant, neque pars aliqua poſſit affici quin aut totum corpus, aut partes quae communi cum eâ funguntur munere, affectionis participes factae, mutationes quasdam ſubeant.

Organa, quorum interventu, affectiones partis cujusdam in totum corpus praecipue diffunduntur, ſunt cerebrum & ventriculus; cutis etiam & tela celluloſa eidem plurimum inſerviunt officio. Partes quae ſibi invicem praecipue conſentire videntur ſunt oculus alius cum alio; retina cum uveâ; uterus cum mammis; pulmones cum diaphragmate; cum ventriculo fauces; partes aliae tubi alimentarii cum aliis &c. Pleraeque hae ſympathiae naturales ſunt & cum ad actiones varias rite perficiendas, tum ad ſanitatem partium & vitam denique ipſam totius machinae ſervandas conducunt. Aliae autem ſunt quae niſi corpus morbo afficiatur, obſervari non ſolent. Utrumque genus tamen explicatu eſt ſatis difficile, eae quibus cerebri nervorumque ſyſtema univerſum inſervit, ex eorum ubique diffuſâ poteſtate, partes inter ſe, licet longe diſtantes, nectente, pendent. Quas Ventriculus &c. promovent ex eorum maximâ ſenſibilitate non minus quam e cerebro per nervos complures quibus inſtruuntur,

tur, eis connexo, oriri videntur, caetera omnes quae ſpeciales dici poſſunt vel a vicinitate partium, vaſorum ſanguiferorum communicatione, nervorum nexu, membranâ celluloſâ ab aliâ ad aliam extenſa, vel a conſuetudine naſcuntur. Ex ſympathiis morboſis aliae ab auctâ partium ſenſibilitate, mobilitate & debilitate, aliae a viribus corporis autocraticis videntur oriri.

DE SIGNIS À FEBRE ORIUNDIS.

In omni febre univerſae corporis functiones plus minus impediuntur, nec inde ſtomachus, affectionis particeps factus, minimè quidèm patitur: appetitus deficit, nauſea & vomitus ſequuntur. Ventriculi nimirum fibrarum muſcularium tonus, ſine quo nulla ei eſt actio valida & regularis a totius ſtatu ſyſtematis, & praecipuè extremorum cutis vaſculorum pendet; vaſcula verò ea in febre fieri ſolent atonica; & exinde duci videntur ventriculi tonus imminutus, functiones languidae, aliaeque ſupra dictae affectiones.

Ad haec levanda ſymptomata, febrisque ipſius criſin promovendam, emetica leniora plurimùm valent; caetera autem remedia quae tonum vaſculis reſtaurare in febribus, adhibentur, ventriculum quoque non minus levant.

DE SIGNIS À PODÀGRÀ ET HAEMORRHOIDE ORIUNDIS.

Affectionem articulorum inflammatoriam quae hunc morbum praeſertim conſtituit, varia praecedunt ſigna; praecipue autem ventriculus affici ſolet: impeditur appetitus, concoctio ciborum male perficitur, ſequuntur inflatio, ructus, caeteraque iſtius modi ſymptomata, & per aliquot dies majore vel minore graſſantur violentiâ. Die autem paroxyſmum ſtatim praecedente, appetitus plerumque redit, & praeter ſolitum augetur. Saevientibus vero in *podagrâ regulari* paroxyſmis, ni illi ſaepius fuiſſent repetiti, organum hoc

D ne-

nequaquam ſolet affici. In eâ autem quae atonica audit, ventriculus praecipua morbi ſedes eſt: Dyſpepſiae & Hypochondriaſis ſigna quam plurimum inducuntur; variaeque corporis partes ſpasmis ructu ſe ſublevantibus afficiuntur, nulla tamen inflammatio inſequitur. In *retrocedente* podagrâ ventriculus non raro ſimili omnino modo, praecedente tamen, plerumque articulorum, inflammatione, corripitur. Podagrae atonicae curationi inſerviunt, cauſarum debilitantium evitatio cauta; & toni corporis univerſi & praeſertim ventriculi & articulorum reſtauratio, hoc praeſtant remedia in dyspepſiâ antea praeſcripta: Quin etiam cum frigus corpori admotum in hoc morbo plurimum noceat, ſummo ſemper ſtudio evitandum eſt. Denique epispaſtica articulis dolore immunibus applicata, & fonticuli partibus extremis inferioribus inſiti, inter remedia numeranda ſunt. Si podagra retrocedens ventriculum afficiat, ſtimulantibus, veluti vino; alkali volatili; aromaticis & cum eis opio utendum eſt: ubi vomitus inſequitur largiores vini potus, primo aquâ diluti, poſtea vero integri, ad eum promovendum profunt; poſt aliquot vero tempus ad ſupra praeſcripta & praecipue ad opium confugiendum eſt.

Quod ad ventriculi ex HAEMORRHOIDE ſympatheticas attinet affectiones, ſigna dyſpeptica & hypochondriaca exinde orta, eodem modo ac ſi idiopathica eſſent tractari debent; remediis ad morbum primarium depellendum adhibitis.

DE ALIIS QUIBUSCUNQUE VENTRICULI SYMPATHIIS.

Praecipuae hujus organi affectiones ſympatheticae ſunt eae quae ab animi pathematibus, utero, & cute male affectis oriuntur, demiſſo ſcilicet vel turbato animo vires univerſi corporis labuntur; deficit praecipue appetitus; aſſumptus non concoqui poteſt cibus: exoriuntur nauſea, vomitus, aliaque dyſpepſiae lugubria ſigna, quae niſi moeſtitia, aliave animi pathemata primo fuerunt amota, ne arti quidem Machaoniae volunt cedere.

Ven-

Ventriculi cum utero consensus grave exemplum praebent faeminae, quae paullo post conceptionem nauseâ atque etiam saepissime vomitu, omni mane fatigantur & excruciantur. Dira mehercle signa sunt & pene intolerabilia, nullis autem remediis, non nisi patientiâ levanda. Catameniorum etiam variae affecctiones & status, stomachum plurimum afficiunt. Retentis enim his ex uteri atoniâ dyspepsia & chlorosis, ex quâvis causâ suppressis vel etiam difficilibus redditis, dolores stomachi, vomitus, haematemasis sequi consueverunt. In hisce affectionibus indicationes omnino dissimiles sunt. Si vasorum uteri deficiat actio, excitetur; sin actione integrâ, augeatur resistentia, ea minuatur, excitatâ simul actione, necesse est.

Cutem inter & stomachum consensûs exempla sunt signa in febribus priùs tractata. Tono autem quomodocunque in vasculis extremis amisso vires ventriculi statim deficiunt, restaurato redeunt. Quin etiam in exanthemate, omnique cutaneâ eruptione ventriculus quam plurimùm solet affici: cum vero eae vel ex frigore vel ex aliâ quâpiam causâ retropulsae sunt, tùm malè in hoc organum incidentes praecipuam ei injuriam inferunt. Symptomata inde orta remediis vix cedunt, nisi priùs restituatur prior cutis status: quod quidèm balneo tepido, stimulantibus internè exhibitis, eisque quae impetum humorum ad superficiem corporis adaugent, plerumquè fiet. Sanguinis autem missio aliquando & necessaria est & plurimùm prodesse invenitur.

Dura scilicet haberi solet necessitas, de quâ nihil omnino commodi possit deduci. Mihi tamen, perquam cupienti, quo beneficia quae nunquam me penes erit retribuere, possem agnoscere, & praecipuè quo studiorum fautoribus meorum gratias referam, praesens favere videtur occasio. Quòd medicinae ingressus sim scientiam, & quod in re medicâ lucri quid & fidei liceat prospicere, carissimo & benignissimo fratri meo S. B. Athill, M. D. debere lubentissime fateor: mihi enim, cum jam alium vitae cursum minus tamen lucri secum allaturum, saltèm minus certum elegi, frater ille gene-

rosus, quamprimum idoneam sibi nactus est occasionem, sui instar, medicae suae exercitationis fructuum ultrò mihi obtulit participationem; tempestiva ea benevolentia indolis ejus ergà me fraternae fida est historia. Tum verò honori & utilitati meae praecipuè consuluit, quum D. A. DUNCAN Edinburgensis (nominis mihi semper carissimi) judicio & hospitiis medica mea studia commendavit; laudem enim eam, si qua mihi unquam fuerit in medicinâ, principiis iis, quae discipulus & contubernalis ejus dulcissimè imbui, jure referre volo. Praeceptor assiduus unà erat idem & amicus suavis: tempora meherclè ea, cum viro illo erudito & benevolo, ità acta juvat meminisse; honestior verò fit, & in dies praetiosior amicitiae tantae gloria.

Tibi demum hodie, digne mi Curator & Patrone, Domine, R. OLIVER, summâ cum reverentià, & estimatione & amore, filium veluti tuum me liceat propinquare. Si enim infans, puer aut adolescens honestum quid aut decorum assequi conatus sim, tui est: tibi nimirum teneros nostros annos & curas & anxietates omnes paternas suas, absente se, pater feliciter confidit prudentissimus; & pari optimus ille parens judicio, suorum nunquam immemor, &, quo carissimae vitae suae exitus quam levissimus, & quàm minimo suis foret incommodo, ritè consulens, tibi aliisque amicis propinquissimis post mortem suam, res & liberos suos fore commissos voluit: Curatores reverà fidissimos & amicissimos invenimus; sed de tot & tantis, in me meosque confertis, beneficiis, dignè ea quae sentio, nequaquam me penes est exprimere; & mehercle seu civis privatus, seu senatûs socius Britannici respiciatur, aut honoratiores aut celebratiores haud facillimè esse poterunt integritas tua, & virtus publica. ——

T A N T U M.